



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

[In Libri Secvndi Variarvm Resolvt.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

Ad l. si contendat pertinet, scilicet posse quem petere à iudice, &c.

Concord. Gomez. *variar. resolut. tom. 3. cap. 1. num. 20.* Capyc. *Decis. Neapol. 18. num. 3. Blarer. cap. 2. num. 18.*

Num. 5.

Adire posse eum iudicem, coram quo ipse per actorem esset conueniendus.

Huic Couarr. sententiæ subscribunt Ludou. Molina *tom. 3. disp. 639. in fin.* Andr. Gail. *lib. 1. obser. 9. num. 3. Blarer. cap. 4. num. 2. 3. 4. 5. 11. 13.* & multi alij, quos citat Bernard. Greuæus *In practic. Conclus. ad Andr. Gail. dict. obser. 9. considerat. 1.* quorum opinio eo fundamento maximè nititur, quod diffamatus reus sit, cuius propterea forum sequi debeat diffamans. Sed cum hic duplex subest iudicium vnum causæ principalis, alitrum quo diffamatus prouocat diffamantem ad actio-

nem suam instituendam, in quo actor est teste Barth. *de liti. berius 1. 2. nu. 2. ff. de in ius vocand.* videri posset, quod in iudicio diffamationis, siue purgæ, (vt Galli vocant) ad eundem sit iudex, impetrato rescripto Principis, à quo causæ diffamationis cognita, & diffinita, principalis causa remittitur ad iudicem diffamati, vel loci vbi res sita est, pro natura & distinctione actionis, & sic in Curia Brabant. practicitur.

Num. 8.

Verse. *LVIN ET ILLVD.*

Contrarium tenet Molina *tom. 3. disp. 639.* eo quod iudicium hoc non intentetur, nisi circa rem presentem aut preteritam, non vero circa futuram, cuius habet spem aut ius in spe, quo frustrari potest. Sed Couarr. opinio magis placet. Nam etiam vi uentis maioratus possessore non possit is qui post mortem eius successorem prætendit bona sibi vendicare, quominus tamen agat, vt de iure suo constet, que id declaretur, nihil vetat.

I N

LIBRI SECUNDI VARIARVM RESOLVT. CAPVT II.

DE VSVFRUCTUARIO
AN ET IS TENEARVR SOLVERE
DEFVNCTI DEBITA.

IN PRINCIP.

Multum interest &c.

H Aloand. legit, *Non nihil interest.* text. Florent. *Nihil interest.* Anton. Fab. *vero lib. 1. Coniect. cap. 14.* vulgatum lectionem probat, & loco *rerum tertie partis; rerum certarum* legendum censet. quod & mihi probatur.

Verse. *SECUNDA CONCLUSIO.*

Hoc adnotauit Bartholus. &c.

Hanc sententiam Barth. non putat veram Alban. *in addit. ad Barthol. ad verba quandoque legatur:* eo quod usufructuarius vniuersalis ex magis communi, ad debita non teneatur: Addit deinde Alban. modicum interesse an teneatur pro rata, vel non, quia in omni casu as alienum soluendum est de rebus hereditarijs: & propterea etiam usufructuarium pati diminutionem pro rata sui usufructus: Qua in re non videtur Alban. satis distinguere usufructuarium totius vel quotę hereditatis, ab usufructuario omnium, vel partis bonorū: hunc enim ad as alienum non teneri verius est, sed de illo secus esse apparet ex Menoch. *lib. 4. præsupr. 143.* Potest tamen secundum eum *ibid. num. 4.* si coactus à creditoribus, as alienum ex proprio soluit, nec tot fructus percepit, ex quibus tantundē consequi potuit, residuum ex proprietate deducere, non itē si tot fructus, aut plus ex proprietate percepit, asserens ita etiam declarare *Ruin. consil. 41. lib. 2. num. 2.*

Num. 2.

Vsfructuarius quartæ vel quintæ partis bonorum non potest conueniri,

Approbatur à Molina *tom. 1. disp. 204. in princip.* Item à Grass. *vbi supr. n. 4.* vbi etiam rationes Auctoris subdit, Valde tamen *lib. 2. Consult. 116. num. 14. & 15.* differentiam inter legatarium certæ partis hereditatis & legatarium certę partis bonorum, non vigere in praxi asserit sed quemlibet ex ijs reiecta verborū subtilitate à creditoribus hereditarijs promiscuè cōueniri posse, prout Auctor id ipsum etiam sentire Ioannem Lupi aliosque interpretes inris Regij paulo post asseuerat.

Adduci in contrarium solet Taurina cōstitutio.

Vid. hac de re Garz. *de expens. & meliorat. cap. 11. n. 63.* Anton. Gomez. *ad l. Taur. l. 20. & 21.* late Molinam. *dict. disp. 204.* & Gutierrez. *quest. practic. 58. n. 15.*

Num. 4.

Hæc quinta conclusio Bartholi in usufructuario etiam omnium bonorum falsa appareret & ita eam reprobant. &c.

Reprobant similiter Grass. *receptas. sentent. §. legatum 9. n. num. 5.* Menoch. *d. præsupr. 143. num. 6.* Guid. Pap. *in quest. Delph. 541.* Bellon. *Consil. 7. num. 1.*

Possit sane Barthol. opinio admitti vbi legatus esset usufructus hereditatis.

Quid si hoc casu creditor omisso legatario conueniat heredem, an is obicere possit non se, sed legatarium conueniendum? Et nuper consultus respondi, exceptionem non dari, saluo ipsi regressu aduersus legatarium totius hereditatis: eo quod debita sequuntur necessitate quantum iuris, personam hæredis. *l. aris alieni. 15. C. de donat. qua decisio etiam colligi potest ex ijs quæ tradit Auctor Infr. nu. 7.*

A quo discessere Mathefilanus:

Contra Roger. ab Auctore citat. cum Mathefilan. & Socin. tenet Grass. §. legatum quest. 35. nu. 7.

Num. 5.

Iure tamen verius est legatum hoc validū esse, & statim institutum post usufructuarij mortem heredem esse.

Ita etiam tenet Grass. recept. sentent. §. legatum quest. 23. nu. 2. Andr. Gail. lib. 2. practis. Obfer. 143. vbi argumentis, quæ in cōtractum adferri possunt, respondet; plenè quoque hanc materiam discutit Menoch. lib. 4. presump. 141. Ex quibus etiam deciditur usufructuarium omnium bonorū alio post mortem instituto heredem, merè legatarium esse, siue usufructus simpliciter sit relictus, siue in illo legatarium institutus sit. Molin. ad Alex. cons. 162. quamquam alij fideicommissum institutum esse tradant. quæ de Gail. & Menoch. loc. cit. & Grass. d. §. legatum q. 23. num. 3. & §. institutio. q. 24. num. 8.

Num. 6.

Vendendo bona quæ ad eorum solutionem fuerint necessaria.

Accedit Peck. de testam. Coniug. lib. 6. tit. 24. n. 6. Et hoc procedit licet testator reliquerit usufructuario plenū & integrū usufructum, poterit enim nihilominus hæres alienare ex bonis hereditariis, vt satisfaciat creditoribus. Ruin. in Cōsil. 41. n. 2. & b. 2. Bellon. Cōsil. 7. n. 6. Menoch. d. lib. 4. presump. 143. n. 16. cum bona non dicantur nisi deducto ære alieno. §. sub signatum §. bona. ff. de verb. significat. Similiter procedit, etiam si hæres ex proprio suo patrimonio debita soluisse. nam adhuc deductæ ex bonis testatoris quantum ipse numeravit. Socin. l. un. Cōsil. 109. num. 15. 16. & 17. lib. 1. Et si nihil ex bonis hereditariis possidet, petere potest ab usufructuario sufficientia bona ad solutionem æris alieni, quæ & ipse venundari pati cogitur. Grass. §. legatum. quest. 35. num. 2. Monet tamen Peck. d. lib. 6. tit. 24. varias consuetudines superioribus decisionibus resistari, & testatorem auctore Ioanne Dilecto de arte testandi in 6. cam. 42. rectè facturum, vt tollendæ dubitationis causâ, declaret testamento per quem debita solui velit, ne res in disputationem trahatur, & lis ex lite nascatur.

Ac tandem reliqua tradet usufructuario.

Atque ita pariter ad verumque proprietarium & usufructuarium onus æris alieni redundat. Grass. in act. success. §. legatum. quest. 35. num. 2. & hoc est quod Alban. supra relatus vult dicere.

Procedit tamen nisi ex coniecturis. &c.

Coniecturæ inter alias sunt, si usufructus, solutis ex eo debitis, redderetur inutilis, Alexand. in l. usufructu. nu. 3. ff. ad leg. Falcid. Bellon. d. Cōsil. 7. num. 2. & 8. Si ex alijs testamenti partibus constaret testatorem voluisse solui alia debita ab ipso heredem. Bellon. d. loc. num. 3. versic. secundo principaliter. Crauert. Cōsil. 563. num. 1. Si testator usufructuariū ad aliqua onera astrinxit, ad quæ aliâs nō teneretur, vt puta ad alendū filios ipsius testatoris. Ruin. Cōsil. 41. num. 7. & 8. lib. 2. Denique si prohibuit detractionem alicuius quartæ vel portionis ex ipso usufructu, & subiunxit, vt usufructuarium totum & integrum usufructum habeat. nam cum hæc verba nihil operentur circa quartas, operari debent respectu æris alieni. Ruin. Cōsil. 41. num. 10. & ita tradit Menoch. d. lib. 4. presump. 143. num. 12. 21. & 22.

Num. 7.

Verfic. **TERTIO CONSIDERANDVM EST.**

Nam si ea annua sit, eius solutio ad usufructuarium pertinet.

Debet enim solui huiusmodi legatum de fructibus non de proprietate. Auctor hic. Grass. d. §. legatum q. 36. num. 1. & idem de debitis annuis dicendum. Menoch. d. presump. 143. nu. 18. vt & generaliter de oneribus collectis, tributis ordinarijs & extraordinarijs (etiam insolitis) quia hæc omnia ad eum spectant qui fructus percipit. Grass. d. §. legatum. q. 37. n. 1. non attentâ distinctione leg. hætenus. ff. de usufruct. circa magnam vel modicam impensam, cum illa refectionem tantū concernat, non vero onera quæ extrinsecus ratione possessionis ab usufructuario prestanda sunt. Pinell. in Comment. ad l. 1. C. de non matern. part. 2. nu. 72. versic. diuinitio autem. d. l. hætenus.

Nec tale onus incumbit usufructuario.

Ne videlicet usufructus penitus absorbeat. Quid autem hoc casu in oneribus realibus definitum? Vide ad hoc, vt & ad intellectum superioris notæ, plenè Pinell. d. num. 72. versic. limitatur septimo.

Verfic. **CETERVM.**

Vt ab hærede statim ex ipsis bonis vendantur res ad solutionem legatorum necessaria.

Conarruia sententiam, reiectâ Cornei ab ipso citati, approbat Menoch. d. presump. 143. num. 14.

At si usufructuarium sit ratione legalis sanctionis ad id onus omnino obligari, est accipiendum in hunc modum.

Idem approbat & sequitur Garz. de expens. & meliorat. cap. 11. num. 6. vbi & seqq. eg. regie discutit an discrimen magnæ, vel parvæ expensæ, quod circa usufructuarium ex testamento obseruatur, in usufructuario legali locū habeat.

Verfic. **QUOD SI QUANDO QVÆ.**

Quod si quandoque oportuerit affirmatio- nem v usufructus fieri. &c.

Vid. ad l. hereditatum. hic citatam Couarr. lib. 3. var. resol. cap. 9. numer. 7. versic. sed fortassis quibusdam & numer. 8. & 10. Non vnâ tamen consuetudine vsum fructum dimidio proprietatis taxari refert Argentr. de donat. art. 218. gloss. 5. num. 29.

C A P. III.

DISCVTITVR DIOLETIANI ET MAXIMINI CÆSARVM CONSTITVTIO. L. 2. C. DE RESCIND. VENDIT.

Num. 1.

Cuiusque rei pretium triplex.

Accedit Molina tom. 2. disput. 347.

Num. 2.

Licere naturaliter contrahentibus inuicem se decipere, modo ea deceptio intra latitudinem iusti pretij & eius mediocritatem contingat: alioqui licere nequit naturaliter.

Hoc non obstante, si læsio intra dimidiam contingat, tamen si excedat terminos hic adducto, non rescinditur contractus iure fori. Auctor. cap. seq. num. 11. Quod si vero dolose & ex proposito fraudulento intercedat, tunc in foro etiam exteriori contractus rescindendus, vel læsio tollenda, et si intra dimidiam contigerit. Couarr. cap. seq. num. 12. quin & ex do-

ex dolo incidenti interesse pretij refarciendum. Pinell. In comment. ad l. 2. C. de rescind. vend. par. 2. cap. 2. num. 12. Iatius de his Auct. d. num. 12. quemadmodum & vniuersæ excessus reddi debet, quoties à lege publicæ decreto pretium statutum est, quod ab Aristotele lib. 5. Ethicor. cap. 7. à & DD. legitimum vocatur, & in indiuisibili consistit. Molina tom. 2. Disput. 347. Versic. pretium rei.

Num. 3.

Probatum ex eo testimonio lesio ultra dimidiam.

Facit pro hac opinione, quæ videtur communis, quod quando testis deponit in causa deceptionis iusti pretij, censetur in dubio respondere de iusto pretio, prout includitur intra latitudinem pretij, cuius excessus vel diminutio indicat deceptionem de qua agitur. Ita Valasc. consult. 44. nu. 3. qui tamen cū Auctore consultat ad securitatem causæ, vt testes interrogentur an intelligant de pretio supremo vel infimo.

Etiā minimus excessus ultra dimidiā locum faciat d. l. 2.

Licet in vno tantum constet nummo. Gomez. variar. resolut. tom. 2. cap. 2. num. 22. versic. item adde Rebuff. ad Constit. Reg. de resciss. contract. art. vnic. gloss. 15. num. 14. Myns. Cent. 4. obser. 73. quem tamen non suffecerit restituere, vt excludatur remedium d. l. 2. sed necesse est, totum pretium in quo deceptio est, reddere. Myns. d. loc. Cyn. in d. l. 2. quaest. 8. Paul. de Cast. 2. col. nu. 2. ibid.

Num. 4.

Tradita à Contr. hoc num. 4. similiter fere tradit Molina tom. 2. disput. 348.

Cæterum cuiusque rei pretium non ex cuiuslibet affectione.

Papon li. 16. tit. 3. ar. 15. Hinc Vlpian. in l. 1. §. & alias videamus ff. si quid in fraud. patron. Si Venierit, inquit, possessio in quam habet patronus affectionem, vel oportunitatis, vel vicinitatis, vel cultus, vel quod illic educatus sit, vel Parentes sepulsi, an debeat audiri reuocare volens? nullo pacto erit audiendus. Quo circa etiam non proficiunt ad probationem iustæ & communis æstimationis testimonia testium afferentium, quod tantum ipsi pro re illa exsoluerent, vel quod Titius tantum pro ea dabit, nisi insuper de communi æstimatione subiiciant. Aluar. Valasc. Consult. 43. num. 13. tutatur tamen hunc modum testandi aliquod casibus Rebuff. in l. vnic. C. de sent. qua pro eo quod interest. num. 500.

Sed ex communi hominum estimatione.

Quæ scilicet tempore contractus fuerit, Valasc. d. Consult. 43. n. 28. non vero quæ ante l. 4. C. de rescind. vendit. vel postea mutatione pretij, l. si voluntate. 8. in fin. C. eod. tit. l. 3. §. diu fratres. ff. de iur. Fiso. Myns. Cent. 4. obser. 73. versic. & talis valor. Schar. ad d. l. 2. C. de rescind. vendit. nu. 17. vel rei deterioratione superuenit, l. habitationem. in princ. ff. de peric. & comm. rei vendit. Rebuff. ad Constit. reg. tom. 2. tract. de resciss. contract. art. vnic. gloss. 15. num. 46. Prædicta tamen ita se habent, si valor vel pretium tempore contractus successuum, nec momentaneum fuerit: Nam si ob bellum, caritatem, pestem & c. modicæ durationis auctus vel diminutus valor sit, tempus contractus non vsque adeo attenditur. Caus. decis. 45. num. 53. & decis. 46. n. 26. Valasc. d. consult. 43. n. 28. versic. verum tamen in fin. Et prædicta æstimatio ex communiori sententia taxatur, quatenus res in se est, non habito respectu valoris per accidens, & proinde ex l. 2. nō tenetur, qui pretiosum thesaurum in fundo empto inuenit, Fachin. controu. iur. lib. 2. cap. 20. versic. quarto controuertitur. Idem de venâ argenti in fundo empto inuenta iudicandum. Molina tom. 2. Disput. 353. versic. illud obserua, & versic. hoc idem. ne que tenetur emptor thesaurum obconditum, vel venam

argenti, quamvis eorum ante venditionem conficiis sit, detegere, Idem Molina d. loc. allegans inter alia illud Matthæi Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro, quæ cū qui inuenit homo, vadit & vendit omnia quæ habet & emit agrum illi. Quamvis Connanus lib. 3. iur. Ciuil. cap. 4. n. 4. post ablegatas aliquorum opinionum incidere, quod si ipsi in disceptatione forensi huiusmodi controuersia incidere, se thesauri partem emptori, partem venditori adiudicatum. Solet etiā verus iustus rei valor ex antio reditu dignoscitur, nisi alie rationes loci, aut tēporis alie circumstantie adferantur, ut puta. Castra, Turres, Aedificia. D. Anton. Fab. in Cod. iur. de rescind. vendit. desinit. 2. & ibid. in alleg.

Homini scienti eius conditionem.

Valasc. d. Consult. 43. num. 4.

Versic.

SECUNDO.

Quanti res ipsa empta fuerit, nec quot labores.

Valasc. vbi supr. num. 6.

Versic.

ET QUAMVIS HOSTIENSIS.

Pato hunc versiculum (quæ est nota ipsius Auctoris,) Typographo male collocatum esse, cum nihil quadrat versiculo præcedenti, Quinto insertus & c. debere collocari num. 6. post versiculum, Septimo. & c. quibus subiecto congruit.

Num. 5.

Cogitur quis vendere merces Reipub. necessarias.

De hac materia ac casibus quibus quis inuitus vendere cogitur vid. l. lib. 3. cap. infr. 14.

Sed & adest publica necessitas quoad pretium.

Sequitur Molina tom. 2. Disput. 365. vbi latissime diserte, an cessante extremâ pretij & rerum necessitate, pretium illud infra iustum infimum taxari possit, quod ibid. negotiè resolut.

Num. 6.

Versic. CAETERVM QUANDO QVE LICET.

Vid. Notat. infr. lib. 3. cap. 3. num. 9. versic. oct. au. & ea quæ tradit Molina tom. 2. disput. 355. & 357.

Num. 8.

Alij diuersum opinantur.

Præter citatos ab Auctore hinc etiam opinioni accedunt Iacob. Cuiac. lib. 2. 3. Obser. 32. & in commentaria in ff. de mon. ad l. in causa. 2. verb. idem Pomponius ait. Arius Pinell. in comment. l. 2. C. de rescind. vendit. part. 1. cap. 2. num. 6. Ioann. Philip. Steinhaufen, in parat. C. tit. de rescind. vendit. Papon. Notat. 3. lib. 9. in d. resstitutione de ventis & achets. versic. plusieurs cum seq. Fachin. controu. iur. lib. 2. cap. 16. quæ sententia fundatur in proportione quæ inter emptorem & venditorem seruanda est, quemadmodum subsequenti exemplo patet. Nam si venditor rem valentem 9. vendiderit. 4. & contra emptor rem valentem 4. emerit. 9. vtrique proportione seruata absunt vel desunt. 5. & ita seruata Camera Imperial. Myns. Cent. 4. obserua. 73. & prætax Gallia Pap. vbi supr.

Communis omnium sententia, quæ receptior est apud forensia Tribunalia, potius ardeat.

Commy

Accedunt Gomez. *variar. resolut. tom. 2. cap. 2. numer. 22.* Emanuel Soar. in *Theaur. recept. sententiar. lit. l. numer. 1. & 2.* S.ichard. ad d. l. 2. C. de rescind. vendit. Munnoz. *tract. computat. cap. 6. numer. 5. & ita in Senatu Pedemontano iudicatum refert Addit. ad Telsaur. Duff. 165. numer. 8.*

Num. 9.

Quamobrem opinio Rosfredi iure verior est.

Quam probat Vasq. *Controv. vsu freq. cap. 7. numer. 1. 2. 3. & 4.* ut tamen fiat compensatio cum emolumento pretij pro concurrenre quantitate; & hanc viginti argumentis firmat, atque vndeem intellectus *ibid. nu. 6. & seqq.* ad cap. ad nostram de reb. eccl. ab Auctore cit. quod sua opinioni aduersar. videbatur, adfert: Contrariam vero sententiam, quam Couarr. hic praxi receptam ait, tanquam communioem teneat Fachinus *Controv. iur. lib. 2. cap. 24.* Mynsing. *Cenur. 4. Obferuat. 73.* Arius Pinell. ad d. l. 2. 3. parte cap. vit. numer. 1. cum seqq. Anton. Gomez. *variar. resolut. tom. 2. cap. 2. numer. 24.* ubi hanc venorem dicit. Eam tamen limitari voluit in emptore, ex d. l. agente, quod ipse volutarie contractum rescindere licetur non ab alio coactus Pinell. d. loc. numer. 28. quamquam contrarium in Senatu iudicatum fuisse refert. Rescissio autem ex d. l. 2. contractu, quatenus expense, & melioramenta prestanda sint vid. Valasc. d. *Consul. 161.* Porro an resoluta emptione, resoluatur omne onus ab emptore rei vendita: impositum, non sine controversia est, quemadmodum ex opinionibus à Fachino *Controv. iur. lib. 2. cap. 23. relatis,* constat: qui cum Rebuff. ad *consul. reg. tom. 2. tract. de resciss. contract. artic. 15. numer. 3.* affirmatiuam amplectitur; quam etiam sequitur Molin. ad *consul. Paris. tit. 1. §. 22. nu. 45.* quod nimirum resolutio ista contractus fiat per viam anihilationis, & ex causa de antiquo qua res erat affecta, ante pignus vel onus impositum

Num. 10.

Verfic. PRIMA CONCLUSIO.

Qui tamen rem habuit vel titulo lucratiuo

Contrariam sententiam quam probat Pinell. in *commentar. d. l. 2. parte. cap. 1. numer. 32.* videlicet, quod ne quidem occurrerit titulo lucratiuo & primo emptore existentem non solvendo, possit aduersus tertium possessorem agi, verioem esse & regulis iuris magis consentaneam affirmat Fachin. *lib. 2. cap. 18. argumētis se ibid. à allatis.* Couarrutig tamē opinionem cum Pinell. eo casu admittit, si donatarius male fidei fuerit, ac sciebat rem venditam fuisse cum latione ultra dimidiam.

Verfic. SECUNDA CONCLUSIO.

Actio ex praefata constitutione nec competit, nec ad mittenda est contra tertium possessorem, qui rem iusto pretio acquisiuit.

Eman. Soar. in *Theaur. receptar. sententiar. lit. l. versic. lafus vltra dimidiam nu. 6. & seqq.* Gomez. *variar. resolut. tom. 2. cap. 2. nu. 22.* respiciem adde. quod si res sit ab emptore alienata, Crauct. *consul. 7. n. 15.* Apud Gallos in praxi receptum est, ut etiam hoc casu litterae restitutionis impetrentur contra vtrumque, contra primum venditorem, vel emptorem ad rescissionem contractus, contra possessorem ad restitutionem rei & sic vno iudicio rescindens & rescissorium cumulantur. Rebuff. ad *consul. reg. tractat. de restitut. in praes. numer. 34.* Pap. *Notar. 2. lib. 5. tit. de rescindens & rescissoire versic. qui plus est.*

Perperam intellexit Fabianus.

Cum quo tamen tenere videtur Roderic. Suar. *allegat. 21. numer. 7.*

Verfic. TERTIA CONCLUSIO.

Qui tamen sciebat tempore acquisitionis.

Accedit Rota Auignon. *decif. 97. in fin.*

Verfic. QVOTIES VERO.

Aduersus tertium possessorem intra quadriennium.

Rota Auignon. *d. decif. 97. in fin.*

Alibi etenim tradidimus.

Putat lib. 1. *var. resolut. cap. 3. numer. 13.*

Iure Casareo intra 30 annos posse in iudicium deduci auxilium ex d. l. 2.

Gomez. *var. resolut. tom. 2. cap. 2. n. 22. versic. item. adde quod remedium.* Villalob. in *communib. opin. lit. P. n. 239.* Marant. *part. 6. versic. & quandoque appellatur n. 24.* Quanquam Cuiacius hanc actionem quadriennio, quemadmodum & omnes restitutorias actiones finiri tradat. ex *Novell. Romani de rescind. vendit. in paratis. Cod. tit. de rescind. vend. n. 3. & in comment. tit. ff. de minor. ad l. in causa 2. verb. idem Pomponius ait, in fin.* Ab alijs vero inter enormiter & enormissime lesum distinguitur: ut ille intra quadriennium ad rescissionem contractus, vel supplementum pretij agere debeat, hic intra 30 annos experiri possit. Munnoz. *tract. computat. cap. 6. numer. 1.* quod discripen à Garz. *de expens. cap. 18. numer. 21.* rejicitur, eo quod enormissime semper censetur lesus, qui vltra dimidium iusti pretij deceptus sit.

Tamet si iure Regio.

Gomez. *praxi. loc. adde Couarr. sup. lib. 1. variar. resolut. cap. 3. numer. 12. versic. sed ut rem.* Garz. *de expens. cap. 18. nu. 34.* cum quinque seqq. Molinam *tom. 2. Disput. 574.* ubi tradunt intra quod tempus Princeps, Ecclesia, Respubl. restituantur.

Casus autem in quibus d. l. 2. procedit vel fallit, ne Annotationis modum excedamus, vid. apud Rebuff. *d. tom. 2. tract. de resciss. contra. art. vnic. gloss. 15. per tot.* Gabriel. in *commun. conclus. lib. 3. tit. de empr. & vendit. conclus. 1.* Fachin. *Controv. iur. lib. 2. cap. 16. vsque ad cap. 27.* D. Gothofred. *tit. C. de rescind. vendit. ad d. l. 2.* Socin. in *fallent. reg. 281.* D. Anton. Fabr. in *suo Cod. tit. de rescind. vendit. Papon. Notar. 3. lib. 9. tit. de restitution. de ventes & achets cum seqq.*

CAP. III.

RVRSVS TRADITVR AN RENVNCIATIONE CONTRAHENTIVM, EADEM CONSTITVTIO TOLLATVR.

Num. 1.

Vbi ea renuntio specialis fit.

An autem sufficiat, quod renunciatur deceptioni vel lationi, no facta mentione leg. 1. & no sufficere tradit Alexander. *conf. 1. col. 2. vol. 6.* Contrarium asseuerat idem Alexander. *conf. 2. col. 3. vol. 1. & conf. 127. vol. 2. & Ruin. conf. 16. col. 2. vol. 4.* prout refert Gabriel. in *commun. conclus. lib. 3. tit. de empr. & vendit. concl. 1. nu. 92.* Prior tamen opinio probabilior est, eo quod tali renuntiatione, nemo censetur tam graue damnum lationis vltra dimidium subire voluisse, nec de eo cogitasse.

Non posse deceptum vltra dimidiam agere. &c.

Quidquid in contrarium disputetur, solent tamen ut inquit Rebuff. ad *consul. reg. tom. 2. tract. de resciss. contract. art. vnic. gloss. 15. versic. Decimo sexto nu. 21.* aduersus huiusmodi renuntiationem apud Gallos litterae regiae impetrari, comprobari, & interinari.

Nun.

Num. 2.

Etiā vbi vltra dimidium læsus sciverit tempore contractus verum rei valorem.

Accedit Molina tom. 2. disput. 349. versic. conveniunt doctores. Et Fachinaus *Controu. iur. lib. 2. cap. 20. versic. sed contrarium docuit ibi Albericus &c. & seqq.* qui hoc respectu venditoris, hac ratione decidit, quod distinctio ignorantis & scientis venditoris lege non probetur, quæ si adhibenda foret, non ita generaliter sed moderatione aliqua adiecta constitutum fuisset, ut hoc casu venditori actio non competere; præterquam quod eadem æquitatis regula vtrumque vigeat: ceterum enim venditor iustam estimationem rei suæ non ignoraverit, humanum tamen est ut ei succurratur qui forte necessitate adactus vendidit, aut astutia emptoris deceptus fuit.

Num. 4.

Versic. QUINTO CALCANEI.

Potius ex stylo Tabellionum.

De varijs instrumentorum clausulis, an rogatione partium, vel ex stylo notariorū adiectæ sint, aut adijci queant, plenè Menoch. *Consil. 37. vid. & Caroc. decis. 22. Euerhard. Consil. 26.*

Num. 5.

Vbi læsio non tantum contigerit vltra iusti prætij dimidiam, sed præterea grauissima &c. *Junct. verb.* Eamque renunciationem Iuramento præstito stabilierit.

Non probat hanc distinctionem læsionis enormis & enormissimæ Arius Pinell. in *comment. ad d. l. 2. part. 3. cap. 1. nu. 7. & 8.* quod talis distinctio nullibi iure scripto tradatur: unde ad impetrandam relaxationem à iuramento, satis iusta causa ipsi videtur cum læsio est supra dimidiam.

Num. 12.

Versic. QVOTIES.

Questionem hanc explicatius tradit Arius Pinell. *ad d. l. 2. part. 2. cap. 2. num. 11. 12. 13. & 14.*

Versic. SEXTO IN TYTELAM.

Nec insinuationem exigit.

Hodie de consuetudine donationum insinuationes in usu esse desierunt. Euerhard. *Consil. 231. num. 24. in fin.* & ita iudicatum fuisse à Magno Consilio Mechliniæ, anno 1564. 2. Septembris attestatur Choppin. in *tract. de commun. Gall. consuet. cap. 5. num. 7.* dum confirmat sententiã à Senatu Atrebat. latam.

Num. 14.

Contrarium expressim probat gloss. &c.

Et id sequuntur Arius Pinell. in *Commentar. ad d. l. 2. part. 2. cap. 1. num. 36.* Gomez. *variar. resolut. tom. 2. cap. 2. num. 22. versic. ita adde quod si prædicta res empta.* Berber. in *viator. iur. part. 2. Rub. 7. Nu. 53.* Fachin. *lib. 2. Controu. iur. cap. 18. versic. est & alia.* Sichard. in *l. 2. de rescind. vendit. num. 16. in med.* Contrariam tamen sententiam cum Parnormit. inter Neotericos amplexi sunt vltra DD. ab Auctore relatos, Valq. in *controu. usu freq. lib. 3. cap. 61. nu. 13.* Rebuff. *ad Consil. Reg. tom. 2. tract. de resciss. Contrad. art. 3. nic. gloss. 15. num. 24.*

Et iustum pretium primo emptori dederit.

Ita quoque tenent Pinell. *d. part. 2. d. cap. 1. num. 38.* Fachin. *d. cap. 18. versic. Illud monendum esse iudico.*

Etiā re peremptã absque culpã tamen emptoris, etiā penes ipsum, venditor tenetur quod pluris iusto pretio accepit.

Sequitur Pinell. *d. loc. num. 39.* reprobata ibidem contra Antonij Gomez. opinionem.

Qualiter autem in hac materia legis 2. libellus concipi debeat, an ad rescissionem contractus, supplementum pretij, vel alternatiuè ad vtrumque, tractat Garz. *de expens. & honorat. cap. 18. n. 26.* & aliquot seqq. in quo communi usu & præi Curie Brabantie ad rescissionem contractus contentum solet.

CAP. VI.

VBI DE PAUPERE AVT DIVITIBUS TRACTATUR, CVI INCUMBAT QUALITATIS HVIVS PROBATIO.

Num. 2.

Eam qualitatem probare tenetur.

Auctoris opinionem probat Menoch. *lib. 6. præsumpt. n. 14.* in qua etiã plene discutitur, diues vel pauper an & quando quis præsumatur.

Num. 4.

Versic. EX HIS POTERIT TRACTARI.

Qui tenetur probare negatiuam, eam probare plenè debet eo modo quo melius probari iure potest.

Quando negatiua probari possit, tradit Menoch. *lib. 6. præsumpt. 50. num. 8. & seqq.* vbi ad hunc effectum inter negatiuam iuris, facti, qualitatis, & quantitatis, accurate distinguit.

Num. 6.

Vbi actor probat se consanguineum esse defuncto in certo consanguinitatis gradu.

Ad hæc notandum, sufficere ad consequendam hereditatem intestati, quod probetur quasi possessio consanguinitatis, & proximitatis, nempe quod quis à defuncto habitus, tractatus, & nominatus sit pro agnato, siue heredi proximior. Grass. & ab eo citat. *tract. success. lib. 2. artic. transmissio, quest. 5. num. 9.* Et hoc vique adeo verum ait, ut procedat etiam si is qui se heredem proximiorum ab intestato alterius esse pretendit, si de duobus articulis quos fecerit, vnum de veritate per distinctionem graduum, alterum de nominatione, tractatione, vel cõmuni opinione seu fama posteriorum tantum probauerit. Barth. & DD. in *l. non epistola. & in l. seq. C. de probat. Graff. vbi supr. & DD. per eum cit.*

CAP. VII.

DE VBI SIMVL NAVERRAGIO, RVINA, AVT BELLII CONFLICTV PEREVNTIBVS, VTER EORVM PRÆSUMATVR PRIVVS DECESSISSSE

Num. 3.

Versic. TERTIVM EADEM RATIONE CONSTAT.

Procedit etiã casus hic propositus, quãdo maritus & vxor eodẽ tempore ciuilitè deeedunt, ut puta si religionem in-

gradiantur. nam & tunc locus erit lucro delato ex statu-
ro, vel pacto, Cynus in l. Deo nobis. vbi Salic. in fin. C. de Episc. & Cler.
Menoch. lib. 6. præsumpt. 50. num. 5.

Num. 4.

Secundo principaliter est adnotandum.
in factis. Secundum hinc verum. nu. 5.

Sequitur & probat Menoch. d. præsumpt. 50. nu. 6. 7. & 8. Item
Donell. ad l. si inter ff. de reb. dub.

Num. 6.

Secundo hinc apparet vera ratio ad text. in
d. l. ex facto §. si quis autem.

Agitur in hoc §. de superexistentiâ respectu successio-
is extranei, quem casum in specie probat Soc. in l. si de pariter. ff.
de reb. dub. numer. 7. vbi dictum §. si quis autem, cum l. qui duos. §.
cum bello. §. §. vi. de reb. dub. conciliat. ratio autem huius casus
est, quia cessat hic humanitas illa quæ locum habet quâdo
agitur de successione filij in bonis patris, de qua Couarr. inf.
n. 8. versic. his obstat videtur. vnde infert Soc. d. loc. quod si in casu
d. §. si quis autem, fideicommissum fuisset relictum ab as-
cendente, præsumeretur ob prædictâ humanitatis causam
filium superuixisse. Menoch. d. præsumpt. num. 28.

Verfic. TERTIO EADEM FERRE
RATIONE.

Quod præsumatur quis viuere cent annis.

Hanc materiam latè & egregiè discuit Menoch. lib. 6.
præsumpt. 49. per tot.

Num. 8.

Verfic. QVARTO DEDUCITVR EX HIS.

Text. in l. sed & in illo ff. de reb. dub. nec.
refert. &c.

Intelligit Menoch. d. præsumpt. 50. nu. 19. in text. ab Auctore
citat. vtrumque fuisse impubere, & ideo ob parem ætatem
debilem & teneram, vnus altero prior perijisse non
præsumitur, nec vnus alteri fuisse superstes: & intellectum
hunc probat per d. leg. qui duo §. ff. de reb. dub. ex verbis, Impube-
rem fratri fuisse substitutum. deinde. Inuicem factam substiti-
tionem reciprocâ alias nullam probabilem rationem
differentiæ inter casum d. leg. sed & in illo, & leg. qui duos, adferri
posse, & hinc esse quod non dicatur substitutum impuberi,
ei superuixisse: aliam autè rationem assignat Donell. in d. l.
qui duo. §. cum in bello, quam tamen Menoch. cit. loc. num. 20.
reprobat.

Cuius proprium & peculiare est, testatorè
præmori superstitibus hæredibus.

Exiimat Menoch. d. loc. num. 20. Couarr. intellexisse atq;
accepisse testatorem pro impubere illo cui facta fuit sub-
stitutio pupillaris, eâ ratione, quod sicut pupillaris substituti-
o dicitur testamentum pupilli §. 1. Instit. de pupill. substituit, ita
ipse pupillus testatoris nomen obtinere posse videtur.

Procedere videntur plura.

Quid si in certamine duo pariter ad stadium perueniant,
atque ignoretur vter prior fuerit? tum neutri gratifican-
dum, sed denuo certandi potestas omnibus fieri debet, se-
cundum Angel. & Alex. in l. eum qui nouissimus ff. ad trebell. & a-
lios quos refert Francisc. Viu. lib. 2. commun. opin. verb. Curren-
tium. Opin. 80.

Verfic. HIS OBSTARE VIDETVR.

Sed hæc procedunt ex humana legis inter-
pretatione &c. propter votum parentum &c.

Quæ decisio ex eadem humanitatis ratione extenditur,
quæ res pia causa succedit: præsumitur enim & tunc patrè
decessisse ante filium. Socin. in l. si mulier. num. 3. de reb. dub.

Hæc vero humanitatis interpretatio cessat
ob ætatis imbecillitatem: nam locum non ha-
bet vbi pater & filius impubes &c.

Similiter etiam hæc interpretatio cessat in filio & filia
quæ paululum ætatem pupillarem excessissent, siue in eod-
em vel in diuersis locis simul obierint: vt aduersus Do-
nell. arguit Menoch. d. præsumpt. num. 31. & 33. Et sic respondit
Marian. Socin. senior. In patre robusto & filia 13. annorū
qui anno 1450. ruina pontis Sancti. Angeli cum quingentis
plus minus hominibus perierunt. refert Menoch. d. præ-
sumpt. num. 25. 26. & 27. Declarantur tamen prædicta non pro-
cedere vbi agitur de successore in bonis extranei: nõ enim
tunc præsumitur patrem superuixisse filio si vna decesserit.
Menoch. vbi. sup. nu. 35.

Num. 10.

Patrono deferatur.

Fallit præfens casus quando superesset pater ipfius liber-
ti, qui hodie patrono præfertur: item quando nõ superesset
ipse patronus, sed solū eius hæres. Menoch. d. præf. n. 38. & 39.

Coronidis vice, vt compendio materiâ huius capitis ad
clariorem eiusdem intellectum contrahamus, ex Menoch.
d. præsumpt. 50. casus sequentes adire vifum fuit. Aut duo
extranei, id est qui patria potestate inuicem deuincti non
sunt, exempli gratia vir & vxor; vnâ simul bello, naufragio,
ruinâ pereunt: quo casu si actum vt vxore moriente in
matrimonio, maritus lucrum dotis aut certam partem bo-
norū consequatur; censetur conditio euenisse, vt & e con-
uerso etiam si dubium sit quis eorum prior decesserit. Aut
agitur de resolutione actus vno ex extraneis præmoriante
altero tamen superstitute quemadmodum vsuuenit in
donatione inter virum & vxorem quæ morte donantis cõ-
firmatur, eoque superstitute & defuncto donatario omnino
resoluitur, & tunc simul decedente marito & vxore, valet
donatio, cum non verificetur illa qualitas quod donans sit
superstes, Idque procedit siquidem donans & donatarius,
vir & vxor similesque eodem loco pereant, alioquin si di-
uerfis in locis moriantur, potior erit conditio possidentis,
qui actore ipso contrarium non probante absoluetur. Si
autem præuratur de lucrî acquisitione vno superstitute &
altero præmortuo, vt in dote & similibus diuersarum ci-
uitatum moribus vsurpatur, tunc si dubium sit an stipula-
tor sit superstes, cum tacitam hanc conditionem si superui-
xerit stipulatio includat, nihil acquisitum erit. Quando ve-
ro quæstio incidit de superexistentiâ respectu successio-
nis quæ iure pertinet ad descendentes vel ascendentes aut
piam causam, hoc iuris est vt patre simul cum filio pubere
pereunte prius credatur mortuus pater: nisi ex coniecturis
aliud apparere possit, secus vero si impubes sit; At vbi agi-
tur de superexistentiâ respectu successiois extranei mori-
entibus simul patre & filio non præsumitur etiâ pubes su-
peruixisse. Postremò vbi agitur de superexistentiâ respec-
tu successiois patroni in bonis liberi & simul decessisse
runt libertus cum filio pubere, præsumitur filium decessisse
ante patrem, nisi extet pater liberti qui hodie patrono præ-
fertur. Ita Menoch. loc. cit.

CAP. VIII.

AN IVSTVM SIT LEGE VEL STATVTO
ALI QVEM OB ALTERIVS
CVLPAM PVNIRI.

De hac materia, maximè an æquum sit liberis ob culpâ
parentum luere, pulchra multa in partem negatiuam ex
litteris & historijs congestit D. Sebastianus Roulliard. in ses
Reliefs Forens. cap. Reprẽssaille. Porro hoc subiectum, si præxim
eius cernas, magis politicum est quam iuris: ita vt in eo sta-
tus & salus reipub (quæ suprema lex est) potissimum spe-
ctanda sit. Vnum tamen notandum; Clementiam Iulij Cæ-
saris qua erga proscriptorum liberos vsus fuit, posteritati
magis commendatam fuisse, quam infamem Syllæ tyran-
nidem qui illos cum vita, tum honore priuauit.

Num. 7.

Versic. *SIC DELINQUENTE FILIO.*

Publicatis bonis filij non censetur publica-
ta legitima portio ei debita ex bonis paren-
tis &c.

Similiter publicatis bonis patris, non censetur etiam legiti-
ma liberorum publicata; Quemadmodum pro magis
communi asserit Grass. tract. success. §. legitima. q. 44. num. 6. Ac-
cedit Iul. Clar. §. fin. pract. crim. q. 78. versic. videndum est etiam. n. 26.
& ita in magno Consilio Mechliniæ 5. Martij, anno 1605.
iudicatum inter Duces Arschottanum & Mariam Maron.
De qua decisione plenius Tessaure. decis. Pedemont. 104. vbi eam
ampliat atque etiam tradit quanta filiorum legitima in pu-
blicatione bonorum parentis esse debeat. Prædicta tamen
decisio ibid. limitatur in crimine læsæ maiestatis, per I. quisquis.
§. filij. C. ad leg. Iul. Maiest. licet contrarium tenuerit Angel.
Consil. 357. in 2. dubio. Limitatur præterea in bonis matris, illa
enim delinquendo liberos legitimâ priuare potest Grass.
& Clar. loc. citat. Moribus autem Burgund. si tale sit delictum
vt confiscatio locum habeat, vniuersa bona paren-
tum liberis auferuntur. Chassan. in consuet. Burgund. fo. 81. num. 16.

Propter crimen Mariti non publicantur bo-
na quæ ex acquisitis matrimonio constante
ad vxorem pertinent.

Accedit Auctoris sententiæ Papon. Notar. 1. lib. 5. tit. des do-
nations. versic. & quant à la portion. Gail. lib. 2. obser. 86. num. 14. & seq.
& de Pace Publica lib. 2. cap. 16. nu. 14. vbi conformiter in Came-
ra Imperiali iudicatum asserit. Et quod hic de acquisti-
bus deciditur, multò magis in dote obtinet; cuius repeti-
tionem vxor habet, etiam si crimen læsæ Maiestatis à Mari-
to sit commissum. I. ob Maritorum. C. ne vxor pro marit. l. 1. C. ad l.
Iul. de vi public. l. quisquis. §. Fin. C. ad l. Iul. Maiest. atque illum de
rebellionem damnatum secuta fuerit. Hieron. Gig. de crim. læsæ
Maiest. tit. de poen. q. 19. Boss. de bon. public. nu. 75. Quin & prædicta
dotis repetitio locum habet, siue bona mariti in totum, siue
in parte tantum publicentur, siue in nihilo sed simplici-
ter maritus in exilium etiam temporaneum mittatur: Vin-
cent. Carocius. 1. tract. de excuss. bonor. part. quest. 10. decim. quest. principi-
pal. num. 7. Gail. dist. obser. 86. num. 8. 9. 10. 11. & 12. commodita-
tem tamen fructuum dotis, cuius est mariti constante mat-
rimonio, in confiscationem venire tradit Lup. in repetit. rubric.
de donat. inter. vir. & vxor. §. 66. sub. num. 23. fol. 73. prout eum re-
fert Caroc. d. quest. num. 78. cuius sententia, præsertim quoad
fructus post confiscationem natos, dura videretur, cum ex
illis vxor ali debeat, adeoque maritus qui ob delictum ca-
pitaliter condemnatus vel proscriptus est, tanquam ciui-
liter mortuus, eorum desinat esse dominus. facit. I. si quis post-
hoc. 9. in princip. C. de bon. proscriptis. & ea qua tradunt. Aut. Fab. in
Ced. suo tit. de iur. dot. definit. 38. & 39. Baiard. in addit. ad Iul. Clar.
pract. crim. §. final. quest. 78. versic. quæro si bona mulieris ibi. constante
autem matrimonio. num. 62. Gail. lib. 2. Obseruat. 86.

CAP. XIII.

EXAMINANTVR QVÆSTIONES A
BARTH. TRADITÆ IN L. THEO-
POMPVVS. FF. DE DOT. PRÆLEG.

Num. 1.

Secus etenim respondendum erit si generi-
cè committatur id, quod variè æstimari po-
test: vt damna, expensæ, & id quod petentis
interest, &c.

Hanc tamen conuentionem; vt credatur dicto damnum
passi, valere tenet Vafq. lib. 2. Controu. vsq. ad cap. 29. num. 5.
versic. quinimo valet. & secundum illam sapius à se in Pre-
torio Hispalensi iudicatum scribit.

Versic. *CÆTERVM.*

Quam esse communem testatur Iason.

Pro cõmuni hanc etiã probârunt relati ab Eman. Sotom.
Theaur. recept. sent. lit. T. num. 108. & ab Anton. Gabriel. in
commun. conclus. tit. de testib. conclus. 1. num. 31. quos sequitur Vafq.
lib. 2. Controu. vsq. freq. cap. 29. num. 4. vbi nu. 6. prædictam senten-
tiam ad scripturam priuatam etiam extendit. Nec obstat
testis inhabilitas quominus hoc casu fidem faciat. Gail. lib. 2.
gul. in §. & licet in verb. & supplicijs. Nonel. de testib. Gail. lib. 2.
ser. 100. num. 18. & Obseruat. seq. num. 7. & 8. in fin. Myns. Cen. 4. tit.
3. versic. pone quod. siquidem illa favore partis procedat; quod
nimirum testis huiusmodi domesticus, conlanguius, vel
inimicus sit: Nam si inhabilis censetur ex culpa, delictio-
natis, minoribus, faminâ, vili personâ, & similibus vitio-
nit) per Iudicem, parte etiam non opponente, à testimonio
eum repelli posse tradit Gomez. variar. resolut. tom. 2. cap. 22.
22. Rota Gemens. d. decis. 130. nu. 4.

Versic. *VERVM OPINIO COM-
MVNIS OBTINET.*

Accedit Mynsing. Cen. 5. Obser. 26. nu. 4. qui ita à Camera
Imperiali iudicatum fuisse refert. atque idem respectu
tae personæ definit Gabriel. d. loc. num. 9.

Num. 2.

Cautius tamen erit quod ipse Tabellio ex-
pressim scribat ipsius iuramenti formam.

Confirmat Gutierrez. de iuram. confirmat. part. 1. cap. 20. n. 8.
& 9. sed hoc moribus nostris non seruatur.

Num. 3.

Electus à priuato litigante vel à Iudice in
testem, iurare omnino debet &c.

Myns. Cen. 3. obser. 80. versic. idque non solum procedit. Nam et si
suis habitetur persona vt duorum testiu vicem supplet,
non tamen ei iurandum remissum videri potest; cum ad
tacitè à partibus remitti nequeat. Felin. in c. suis quest. numer. 6.
de testib. Sotom. in The. verb. testibus remitti. num. 271.

Num. 4.

Hoc autem Iuramentum quandoque ad
existimationem peritorum &c. pertinet.

Vt in arbitrio seu definitione obstetricum, medicorum
chirurgorum, aliorumque quorum ars certis & indubita-
tis non constat regulis: etenim vt saepe oculus & manus
obstetricum cap. causam matris. & c. nec aliqua. 27. q. 1. ita & medi-
corum Iudicia falluntur, Hypocr. in 1. Aphorism. quare in simili-
bus negotijs iudex plures peritos, siquidem haberi possint,
adhibere debet; vt si variauerint, plurium sententiæ stat
possit. l. 1. §. 1. ff. de ventre inspici. Myns. Cen. 6. Obser. 34.

Poterit tamen probari contrariu eius quod
hi etiam iurati responderunt.

Hinc etiam fit quod sententia lata ex iudicio peritorum
in aliqua arte, non transeat in iudicatum text. in c. Præterita-
tis. gloss. ibid. verb. per error. de frigid. & malef. Grammat. consil. 117. n. 2.
Cagnoli in l. consilij. n. 32. ff. de regul. iur. Quod ita aduersus cõm-
nè moderatur Tessaure. decis. Pedemont. 25. n. 3. versic. itaque cõmuni
vt talis

vt talis sententia ante lapsum fatalium retractari possit nec quoad eundem iudicem tunc in iudicatum transeat, possitque pars contra quam iudicatum est post latam sententiam petere vel peritiores artifices & expertos, vel facientiores consulentes conuocare; non autem post decursa Appellationis tempora. *Tessaur. d. loc.*

Num. 5.

Non est necessaria citatio nec presentia litigantis ad iuramentum nec ad illius testimonium, &c.

Quod etiam locum habet quoties testis omni exceptione maior est, *V. in comm. unib. opin. lib. 1. verb. testes non possunt ibi. & quatuor*, seu quando à parte, et si præsens & citata foret, repelli non possit. *Hypolyt. ad tit. de except. n. 220. & in l. vnoquoque 66. ff. de re iudicat. Castr. consil. 227. incip. super prima. col. penult.* Id tamen aliter praxis nostra seruat. Plures autem huius decisionis extensiones videre est apud Marant. *In specul. part. 6. tit. de citat. & apud Felin. in c. 2. de test. & Socin. reg. 406. incip. testium depositiones.*

Num. 6.

Non posse testem per scripta testificari & proprium exponere testimonium, probatur in specie cap. testes, &c.

Probatur etiam c. tua nos. 8. §. si vero publicum. *versic. cum non sit. de cohabit. cleric. 4. quest. 2. cap. vlt. §. altera est. 5. quest. 2. cap. xelatum §. unde canonica.* testibus enim non testimonij credendum l. 3. §. idem *Diuus. ff. de testib. & ita, non attentâ contrariâ Bald. opinione ab Authore citati, tenet Costal. in aduersar. ad Pandect. in d. l. 3. §. ideoque. & Sichard. ad Rubric. Codic. de testib. n. 2. quod stilus Curia Brabant. quoque seruat. Decisionem tamen dictorum iurium limitari volunt si egregia personæ (quas recenset Sichard. *loc. cit.* & plenius Menoch. *de Arbitr. iudic. lib. 2. Cent. 1. casu. 70.*) de testimonio appellandæ sunt. *Sichard. vbi supra. nu. 2. quod in Nobilibus Bohemæ, Austria, & Bavar. non præstito etiam iuramento, obseruatur. Gaill. lib. 2. Obs. 101. nu. 14. & Obs. 100. nu. 21. & 22.* Circa prædictâ Authoris definitionem quari potest, an testis repetendum sese referre possit ad primam depositionem, an vero debeat iterum integraliter deponere? In qua dubitatione apud Pedemont. inoleuit praxis vt regulariter talis depositio valeat: sed si pars, vel adiunctus aut iudex, etiam ex officio, pro indaganda veritate petat quod testis integraliter deponat sine relatione, tunc compellitur ex integro deponere, lectâ tamen prius illi suâ depositione si hoc petat. *Tessaur. decis. Pedemont. 255. num. 8.**

Num. 7.

Cum quis extra iudicium sine iuramento quid dixerit, & demum iuratus in iudicio contrarium responderit, tunc statur secundæ & posteriori responsioni.

Probant & hanc opinionem c. communi *Iul. Clar. in pract. crim. §. fin. q. 53. versic. primus casus. nu. 11. & Valq. lib. 2. Contr. vsu freq. cap. 32. num. 4. vers. quarto casu. & nu. 6. vers. unde in eam partem, quibus numeris vt & nu. 5. argumenta contrariæ partis dissoluit. Quæ tamen opinio dicitur. num. 6. sub fin. tribus modis ab illo limitatur, eiusque prima limitatio cum Auctoris, in *versic. est & aliud. hoc cap. ferè coincidit.* Secunda vero est vt non procedat quando prius dictum fuit acceptatum vel agnitum à parte, vt in muliere quæ se grauidam ex quodam professo eo agnoscente, contrarium postea iuramento iudicialiter præstito assererat. *cap. per tuas. de probat.* Tertia quoad in scriptura & serib. testis sine iuramento quid asseruit, & postea iuramento contrarium firmavit; tunc enim secundum Valq. *lib. 2. magis videtur vt posterius non valeat.* Hæc ille.*

Hippol. in d. l. eos.

Addit tamen Hippol. *nu. 16. in fin. hunc testem arbitrio iudicis leuiter & tamquam mendacem pro qualitate facti & personæ puniri posse, quod etiam affirmant Couarr. in 2. quæst. 1. parte. §. 7. nu. 5. prope med. de pact. in 6. Menoch. de Arbitr. iud. lib. 2. Cent. 4. Cas. 312. Sichard. ad Iurisjurandi. C. de testib. numer. 14.*

Quia prius contrarium irritus respondisset.

Ex iuramento enim extrajudiciali si postea contrarium in iudicio testis deponat, peritium incurritur. *Iul. Clar. lib. 5. §. fin. Pract. crim. quest. 53. nu. 11. versic. primus casus. ibi. scias tamen. & efficitur vt vtriusque testimonij fides obscuretur, & tollatur. Menoch. de Arbitr. iud. lib. 2. Cent. 2. casu. 108. numer. 23.*

Versic. EST ET ALIVD.

Non ita integra censetur ac si prior responsio minimè præmissa foret.

Sequitur *Clar. d. loc. versic. primus casus. ibi. bene verum est. Menoch. d. casu. 108. num. 27.* Adeo vt ex tali testimonio iudiciali non possit secundum *Alciat. tract. de præsumpt. 29. nam. 4. versic. debilitatur tamen. iuramentum in supplementum deferri. quod tamen arbitrio Iudicis moderandum putem, per ea quæ infra hoc cap. numer. 8. versic. his tandem apparet. tradit Auctor.*

Non posse testem id quod dixit in iudicio infringere aut retractare in alterius præiudicium, &c.

Hæc conclusio varijs modis ampliatur apud *Gabriel. in comm. conclus. lib. 7. conclus. 32. vbi etiam num. 6. ex sententiâ Angel. Castren. & Alex. notat Notario asserenti se fecisse falsum instrumentum, in præiudicium partis non credi. Et ita quoque tenent relati à Menoch. *conf. 37. num. 147.**

Num. 8.

Ex hoc non esse Titium torquendum, nisi alia indicia huic accesserint.

Sequitur hanc opin. *Menoch. lib. 1. pres. q. 89. num. 77. 78. 79. & 80. vbi num. 81. hoc casu etiam indicia leuia sufficere tradit: quin in crimine raptus, asseritionem raptæ in articulo mortis factam indicium facere ad torturam contra raporem. Menoch. numer. 82. cit. Carrer. in pract. crim. n. pag. 50. in 10. iudicio numer. 4.*

Quod nemo in mortis periculo præsumatur immemor propriæ salutis.

De hæc regulâ vide pulchrè *Menoch. lib. 5. præsumpt. 5.*

Versic. C A E T E R V M.

Cæterum si testis iuratus in iudicio contraria omnino responderit.

Contraria autem & varia dixisse censetur, cum variat in negotij substantia. *Barib. in l. eos. nu. 5. ff. de fals. l. 2. nu. 17. & 18. C. de honor. possess. secund. tab. quod & de accidentalibus, si ad causam pertinent, intelligit Alciat. in l. 1. §. sed si mihi. nu. 58. de verb. oblig. relatus à Menoch. lib. 5. præsumpt. 23. n. 17. Plenius autem quis testis dicatur varius, vide apud *Capyc. decis. Neap. 142. numer. 3.**

Versic. SECUNDO SI TESTIS.

Si testis statim & (vt aiunt) incontinenti corrigat propriâ testimonij depositionem, eius vltima attestatio valida & legitima censetur.

Fallit nisi vacillaret & inconstanter ageret. *per text. in l. testimonij. ff. de testib. & ibi Costal. latè de hac materia Gabriel. lib. 7. commun. conclus. 27.*

Dicemus autem hanc correctionem statim fieri ubi ea fit priusquam Tabellio responsionem priorem scripserit.

Atque ea à teste subscripta Menoch. d. casu. 108. numer. 5. vel si scribendi sit ignarus, signata & lecta fuerit; & ita communis obseruat praxis.

Idem erit quando testis nondum litigantibus fuerit collocutus.

Iulius Clarus *pract. crim. §. fin. q. 53. num. 15. ibi. aut ipsemet testis. Capyc. Decis. Neapol. 142. n. 9. Menoch. d. loc. nu. 6. ubi iudicem adungulare debere ait ut intelligat an correctio illa sit verisimilis; item an testis hic ex collocacone partis tubornari potuerit, sitque probus vel improbus: Ex quibus alij tunc circumstantijs, ut inquit Capyc. *pract. loc. n. 4. & 5. iudex correctionem quandoque admittet, quandoque negabit.**

Sed etsi testis ostenderit se errasse, & velit errorem corrigere, admittendus est etiam ex interuallo.

Menoch. *de Arbitr. iud. lib. 2. cent. 2. casu. 108. num. 7. Error autem etiam hoc casu ostenditur & probabilis dicitur quando verosimilis obliuio allegatur, quod iudicis arbitrio relinquitur. Idem sensu post Abbatem Felin. in cap. cum in iud. numer. 3. versic. item fallit. de testib. quando calore iracundiae primum testimonium prolatum fuisse docetur, refert Menoch. d. loc. nu. 8. Et testis errorem correcturus teneretur iterum iurare, nec primum iuramentum sufficit: secus cum dictum suum obscurum declarare vult. *VVurns, practice. obseruat. lib. 1. tit. 18. Obser. 20. Gail. lib. 1. obser. 101. numer. 16.**

Versic. TERTIVM EST.

Primum testimonium validum esse, nec per secundum tolli.

Ne in potestate testis sit secundo suo testimonio quod subornatione partis videtur extortum, ius alteri quaesitum auferre. *Guid. decis. Delphin. 546. Testis in vno. Pap. n. 2. & decis. 593. testis in vno. n. 1. Et hanc communem esse opinionem argumentis vrimque relatis, concludit Vass. in controu. vsu freq. lib. 2. cap. 32. eamque sequitur Mynsing. *Centur. 2. obser. 86. & in Camera Imperiali receptam esse asserit. Accedunt Hotoman. *Consil. 102. nu. 9. Iul. Clar. *pract. crim. §. fin. q. 53. versic. Tertius est, n. 13. Prædicta autem locum habent etiam si primum iudicium fuit summarium. Menoch. *de Arbitr. iud. lib. 2. centur. 2. casu. 108. numer. 11. vel testis in secunda depositione asserat se fallum in priore iudicio deposuisse. Hotoman. *Consil. 102. nu. 10. quod & Auctor supra. num. 7. versic. est & aliud. tradit. ex eiu modi tamen variatione testis fides debilitatur. Vass. d. loc. nu. 3. Iul. Clar. *pract. crim. §. fin. versic. tertius casus est. nu. 13. ita ut ad eam roborandam non possit parti deferri iuramentum in supplementum, cum talis testis non sit omni exceptione maior; de quo vid. Fel. in c. cum in iud. de test. *Myns. d. loc. licet Hotoman. loc. cit. asserat auctoritatem prioris testimonij non imminui, allegans Bald. in l. Imperator. ff. de stat. hom. Ioannem Andr. *addit. Specul. tit. de instr. edit. §. instrumentum. versic. primo. Philip. Corn. *conf. 261. de duobus. num. 29. tom. 4. Barth. Ang. & Pontan. in l. si quis in gravi. §. i. ff. ad Syllan. Superior autem conclusio fallit & limitatur in ea testatione quam monitoriarum literarum potestas etiam à iurante extorsit: Nam si, ut fieri solet, is ipse testis postea iubente iudice qui de facto cognoscit, iterum interrogetur, nec prime testationi secunda conueniat, posterior vincet fide priorem, quod prior ad fines reuelationis tantum facta esset potius, quam ad probandum. *D. Anton. Fab. in suo Cod. tit. de testib. definit. 4. Ferrer. in autor. ad Guid. Pap. *quæst. 546.************

Num. 10.

Tabellioni potius quam testis credendum.

Distinguit ita Clarus; aut tractatur de puniendo teste de falso, quo casu tantum creditur testi quantum notario; hoc est, non creditur vni contra alterum. aut tractatur cui plus credendum sit, an notario qui dicit testem deposuisse, ut scriptum est, an vero testi id neganti: & tunc plus creditur Notario. *Iul. Clar. *pract. crim. §. fin. quasi. 53. versic. Quinque est casus. num. 17. & §. fallum, versic. pans testis. 10. nisi testis esset persona multum notabilis. Baiard. in addit. ad Clar. d. *quæst. 53. num. 35.***

Ne coram solo tabellione testimonia à testibus exhiberentur, &c.

Idem suadet Iul. Clar. d. num. 17. in fin. ubi addit, testem presente Iudice examinatum ex post facto non posse opponere, se non ita deposuisse ut scriptum est: & ita controuersia superioris notæ euitatur: Quin & stylo Curie Brabantie testes in ordinarijs causis examinantur per Consiliarium vnum & Secretarium adiunctum, & moribus vrbs Antuerp. duo viri senatorij ad id committi seu delegari solent.

C A P. XIX.

TRADITIONE ALIQUOT INTERPRETATIONES AD L. QUOTIES C. DE REI VENDEICAT.

IN PRINCIP.

Eum cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiorum.

Nec refert an vera traditio interuenerit, an ea que fit per actum fictum, ut pote per clauium traditionem; cum & hanc ad comparandum dominium & possessionem de iure sufficere certum sit. *Ludovic. Molina tom. 2. disp. 369. versic. secundum l. quod meo. §. si venditorum ff. de acquir. poss. l. certis. §. i. ff. de precar. l. quædam mulier. 77. ff. de rei. vendic. Anton. Gomez. *variar. resolut. tom. 2. cap. 2. num. 20. versic. quarto. Anton. Fabr. in suo Cod. tit. de rei. vendic. definit. 4. Varias autem huius fidei traditionis species seu modos videre licet apud d. Molinam. tom. 1. *disput. 13. per tot.***

Num. 1.

Venditorem etsi rem ipsam habeat, non potest præcisè cogi eam tradere, dominiumque transferre: imo liberabitur is præstando interese secundum Accurs.

Contraria opinio verior videtur: nam cum emptionis bonæ fidei sit iudicium, nihil magis ei congruit quam id præstari quod conuenit. *l. 11. in princ. ff. de all. emp. quocirca cum de re non vero de interesse contractum sit, ea præcisè tradi debet si venditor tradendi habet facultatem: maximè cum & meâ interesse possit rem habere potius quam pecuniam, licet multo plus offeratur quam res est. *l. nec quasi. 70. ff. de rei. vendic. l. non enim. rer. amotar. & ita decidunt Rot. Genue. l. *desig. 2. 4. in princip. Arius Pinell. in l. 1. part. 3. num. 25. C. de bon. matris. & late in l. c. de rescind. vendit. Eman. Soar. in thesaur. *recept. sentent. l. v. venditor si facultatem. num. 37. Quod Senatus Sabaudie similiter definiuit in eo qui per chirographum & conuenio pretio fundum Cornelianum à se emptum, promiserat se vendere Caio, qui illum ad promissoris requisitionem, utque eius rebus commodaret, à Titio venditore emere superfederat. refert D. Anton. Fab. in suo Cod. *tit. de part. definit. 11.*****

Versic. PRIMVM.

Eam decisionem admittendam non esse his casibus, quibus singulari quodam iure ex solo contractu citra traditionem transfertur dominium.

Præter

Præter casus hoc capit. ab Auctore relatos quibus dominium sine traditione transfertur, plures referunt Leonard. Lessius de iustit. & iur. lib. 2. cap. 3. dubit. 3. Gail. tractat. de ar. r. lib. 1. cap. 12. Ioan. Fab. & communiter DD. in l. traditioni. r. l. imper. cap. 12. Ioan. Fab. & communiter DD. in l. traditioni. r. C. de pact. ex quibus aliquot annotare visum. Et quid in primis contractâ societate omnium bonorum, dominiû sine traditione comunicatur. l. 1. & 2. ff. pro Soc. Gail. lib. 2. obser. 24. n. 10. Idè in causa dotis & donationis propter nuptias. Telfaur. de iust. Pedemont. 48. quod etsi controverfia non careat, vt videre est apud Gail. lib. 2. obser. 79. num. 9. Gomez. lib. 2. v. riar. resolat. cap. 2. num. 1. versic. vlt. ibi. imo quod magis est. moribus tamè Antuerp. congruit. Hinc à primis Practicis responsum scio; oppugnationem honorum, quæ pater filie contractu antenuptiali per verba de futuro, & in euentum matrimonij, in dotem assignarat, tanquam translata domino nuptijs factis non subfistit. Transfertur præterea absque præfata traditione dominium in legato. l. legatum. ff. de legat. 2. l. à Titio. C. de iust. de iur. vt & in re causa mortis donata. l. 2. iun. l. a. glo. 66. §. fin. ff. de iur. l. 2. cap. 4. nu. 17. in princ. Couarr. de testam. part. 3. Rubr. nu. 19. fideicommissio. l. si fideicommissum vlt. C. quando dies legat. nec non cû ex lege commissoria res fit inempta; si quidem incontinet, & verbis directis pactû sit appositum. Tyraq. lib. 2. retrat. §. 1. glo. 7. nu. 3. & 4. Gomez. lib. 2. cap. 2. num. 30. per tot. Couarr. infr. lib. 3. cap. 8. nu. 1. idem quoque de additione in diem iudicium est. DD. loc. cit.

Num. 2.

Re vendita duobus quorum prior Ecclesia vel ciuitas est, &c. priorem hunc emptorem præferendum esse, &c.

Extende ad Monasteria, Hospitalia, aliaque loca pia; item cum quid in vsum pauperum, vel in redemptionem captiuorum venditum, vel etiam donatum aut legatum est, l. vlt. C. de sacrosanct. Eccles. Ludou. Molina tom. 2. disp. 369. versic. quinta. & tom. 1. disp. 3. versic. excipiuntur. Sichard. ad d. l. quoties C. de rei vendic. num. 5. Et hæc procedunt etiam si duæ Ecclesie vel loca pia concurrat: etenim prior actus erit potior. Ioan. Fab. in breuiar. Cod. tit. de sacrosanct. Eccles. ad l. vt in re duntaxat. 19. Tyraq. de priuileg. pie cause. priuileg. 107. Si tamen sola promissio & votum donandi tantum interuenierit, ex eo Ecclesia aliisque supra commemoratis nec dominium nec ius in re, sed solum ad rem acquiratur: qua de causa si eadem precedente titulo alteri postea tradita fuerit, is Ecclesia præferendus erit. Molina tom. 2. disputat. 369. versic. quintum. Licet autem prædicta communiter à DD. recepta sint: Arrefo tamen Magni Consilij Mechliniæ 16. Nouemb. anno 1590. in causa Natalis Tabolet Appellantis à sententia Namurcens. contra Ioannem Molari iudicatum est; rerum immobilium non aliter Ecclesiam dominium consequi, quam si coram magistratu loci vbi eæ sitæ sunt, solemniter translata seu cessa fuerint.

Num. 3.

Si vero de simplici cōtractu tractemus, &c.

Distinctionem à Couarr. hoc loco traditam approbat Molina tom. 1. disputat. 7. versic. quia vero. Gabriel. lib. 3. de empt. & vendit. conclus. 2. num. 42. sequitur etiam Gail. lib. 2. obser. 55. per tot. (vbi num. 2. circa donationem principis congruenter addit; posteriorem nõ subfistere, licet motu proprio facta fuerit) Anton. Fab. vero in C. suo tit. de rei vendic. desin. c. 1. Zalsij. in Epitom. feudor. part. 5. num. 16. & aliorum opinionem secutus, non attendit Auctoris distinctionem, vniuersè in contractibus eum præferri tradit, cui prius per Principem res vendita est, quod iustam quamlibet Principis voluntatem ratam haberi conueniat, idque eius deceat maiestatem. Sed queri posset, quid iudicandum si priuatus Principi vendat, an dominium sine traditione transferatur? & quidem Wesemb. Infr. de rei vendic. §. vendit. in verb. tradita. putat sine traditione dominium non transferri: Ruin. vero Consil. 40. col. 9. vol. 1. referente Gabriel. lib. 3. tit. de empt. & vendit. conclus. 2. numer. 41. contra-rium respondit.

Num. 4.

Admittendam dicte constitutionis decisionem etiam in Ecclesia venditricem.

Hanc Couarruig opinionem sequuntur Gomez. variat. resolat. tom. 2. cap. 2. num. 20. versic. sexto extende. Molina tom. 2. disp. 369. versic. Quantum ibi. Præterea.

Num. 5.

Eadem constitutio proculdubio intelligenda est vbi secundus emptor bonam fidem habet: nam si is malâ fide non ignarus primæ venditionis eandem rem emit, &c.

Molina tom. 2. disp. 369. versic. septimum. Gail. lib. 2. obseruat. 55. num. 11. & hanc communem allerit Gomez. lib. 2. variat. resolat. cap. 2. nu. 20. versic. Secundo principaliter limita, & ab ea in iudicatio non esse recedendum tradit; putat tamen in puncto iuris verius esse quod secundus emptor cui res prius fuit tradita, etiâ hoc calu præferatur. tandem ad conciliandas DD. opinionones, distinguit.

Si primus emptionis titulum habeat, posterior autem cui res prius tradita fuit causam donationis, &c.

Accedunt Gomez. var. resolat. tom. 3. ca. 2. n. 20. versic. ex quo deducitur. Jacob. Thoming. Decis. 8. n. 2. cum seqq. Gabriel. lib. 3. commun. conclus. tit. de empt. & vendit. conclus. 2. numer. 32. Molina tom. 2. disputat. 369. versic. septimum.

Num. 6.

Si vterque emptor probet sibi rem traditam fuisse nec appareat cui prius tradita fuerit, &c. Sanè præsumetur res prius tradita priori emptori.

Concordat Gomez. variat. resolat. tom. 2. cap. 2. num. 20. versic. tertio principaliter limita. Eman. Soar. in Theaur. recept. sent. litt. T. num. 154. Sichard. ad d. l. quoties num. 14. & hoc secundum Alex. Consil. 42. col. 12. vol. 6. procedit, etiam si secundus emptor sit in possessione ille: quia probatâ traditione primi emptoris præferendus est, quasi res præsumatur sibi prius traditam fuisse, nisi secundus emptor eam sibi prius traditam fuisse probet. refert Gabriel. lib. 3. tit. de empt. & vendit. conclus. 2. num. 52.

Alioqui is potiora iura obtinebit & præsumetur rem ei prius traditam fuisse qui probat pretij numerationem.

Molina tom. 2. disputat. 369. versic. sunt tamen. Valq. in controu. vsu freq. lib. 3. cap. 50. nu. 1. Excipe nisi fides de pretio habita sit, arg. §. vendit. in situ. de rei vendic. que tamen simplici rei traditione interuenisse non censetur, vt contra Tyraq. verius ait Eman. Soarez. in Theaur. recept. sentent. litt. V. venditor fidem. nu. 33. & seqq. & litt. E. emptori habita fides. num. 148. Wesemb. ad citat. §. vendit. verb. secutus est. Molina tom. 2. disp. 338. versic. quod ad secundum attinet. sed ita demum si venditor fidem quam emptor de pretio postea soluendo dat, ita sequatur, vt nihilominus eum rem accipere velit l. 1. ff. si cert. per. Donell. lib. 4. commentar. iur. ciuil. cap. 16. versic. tertium ad voluntatem transferendi opus est. Molina. d. versic. quod ad secundum, quod & indulto solutionis tempore Soar. vbi. 5. d. numer. 33. accepto feducioso, pignore. Donell. & Molina loc. cit. aliisque modis vel actibus constare potest. quibus cessantibus ne quidem venditor confessus se recepisse pretium quod non recepit, de eo fidem habuisse censetur et si rem tradiderit: cum prædicta confessio spe numerationis statim futura emissâ videatur, latè & eleg. Valq. vbi supr. num. 1. 2. & 3.

Num. 7.

Vbi res vendita fuerit cum pacto vt non possit ab ipso venditore alienari, & præmissa ad contractus & pacti robur hypothecâ.

Concordat Gomez. *variar. resolut. tom. 2. cap. 2. num. 20. versic. fin. quarto principaliter. Molina. d. tom. 2. disput. 369. versic. sextum.*

Num. 8.

Et ideo Iasonis opinio admittenda est si secundus conductor cui res prius tradita fuit possessioni non incumbat.

Ita cum Couarr. tenent Gabriel d. *loc. num. 4. & Gomez. tom. 2. cap. 2. num. 20. versic. secundo principaliter extendi. vbi II. & argumentis quæ in contrarium obici solent, respondet.*

Versic. DE CIMO.

Vbi venditio iurata fuerit, à plerisque dubitatur. eam tamen ipsam dubitationem examinari in Epitome. &c.

Adde Gomez. *præclar. loc. versic. septimo principaliter. Couarr. in c. quamuis. §. 4. num. 2. Molinam. vbi supr. versic. Octauum.*

CAP. XX.

DE ECCLESIA RVM ET SACRORVM
TEMPLORVM IMMUNITATE.

Num. 2.

Versic. SECUNDA CONCLUSIO.

Lege verò Euangelicâ non est hæc immunitas statuta.

Immunitatem hanc noua etiam Euangelij lege probari, ostendere conatur Illustriss. Cardinal. Tusch. *Tom. 4. practice. conclus. litt. I. tit. immunitas Ecclesiastica. conclus. 59.*

Num. 4.

Ecclesiâ auctoritate Episcopi constructâ, hæc immunitate gaudere, licet nec cõsecrata sit nec in ea adhuc diuina officia fuerint celebrata.

Accedit Clar. *lib. 5. §. fin. quest. 30. versic. quarto si constructa. nu. 4.* Sed hic ex aduerso queri potest si Ecclesia quæ solenia omnia consecuta sit destruat, an nihilominus ius asyli præstet & præstare deciderit Clar. *loc. cit. nu. 6. nisi Auctoritate superioris, vel sine spe reedificationis demolita fuerit.*

Versic. TERTIO CONSTAT.

Idem immunitatis ius Hospitalibus Auctoritate Episcopi extructis competere.

Aliud est in Hospitalibus Auctoritate priuatorum erectis. *Valase. tom. 2. consult. 105. nu. 43. nec non in Otorijs priuatis: etiam si in eis diuina officia celebrentur Clar. d. d. q. 30. nu. 7.*

Num. 5.

Hoc tamen moribus receptum non est.

Accedunt Eman. Sa. in *Aphorism. verb. ecclesia immunitas. nu. 1.* Nauarr. in *Enchirid. cap. 25. num. 18. qui immunitatem hanc 40. vel 30. passuum eatenus tantum seruari tradit, quatenus fines cõmitemij, forium, claustrorum, graduum, sese protendant: contrariur tamen obtinere astituit Card. Tusch. *d. d. conclus. 59. num. 19. nisi Ecclesiæ de supradicto spatio non sit prouisum, deperdit nimirum districtu adificatis prope eam laicorum ædibus: quo casu hanc immunitatem tantum ad loca libera, plateolas, vias, & domos contiguas, quæ**

sunt Ecclesiæ intra prædictos passus, extendi credit, & ita in effectu sentit Iul. Clar. *lib. 5. §. fin. q. 30. nu. 2. asserens alia à communi consuetudine non esse recedendum.*

Versic. QUINTO INFERTVR.

Etiamsi domus Episcopi sit extra 40. Ecclesiæ passus constituta.

Henric. Canif. in *summa. iur. canon. lib. 2. tit. 24. §. neque interest. Ioann. Fab. in breuiar. Cod. tit. de his. qui ad Eccles. consueg. ad l. nu. 4.*

Num. 7.

Versic. TANDEM HIS PRÆNOTATIS.

Cum per Insidias:

Insidias duplices describit Menoch. *de arbitrar. iud. lib. 2. centur. 4. casu. 361. nu. 30. vbi opiniones Caloni tract. de iust. 2. cap. 1. in fin. & Clari §. homicidium. versic. ex proposito. conciliat.*

Et proditoriè aliquem occiderint.

Quamquam hæc Couarr. opinio communior & æquior sit, à qua propterea, teste Gomez. *var. resolut. tom. 3. cap. 10. nu. 1. versic. sed aduertendum. in iudicando non est recedendum: contrariam tamen opinionem idem Gomez. de iure veriorum credit.*

Mihi potius placet hunc homicidam proditorium omnino esse.

Fortè tamè cõtrariâ Barth. opinio ab Auctore citat. procedit vbi rixa & pugna paulo ante præcesserint ac prior animi perturbatio durat, quemadmodum consuluit D. Elbert. Leonin. *Consi. 91. in causa cuiusdã Petri de Hertoghe qui ab alio vulneratus postmodum abeunt in tergo vulnus vnde interijt, inflixerat. Quamdiu autem illa prior animi perturbatio adhuc durare censeatur, Iudicis arbitrio relinquatur. Menoch. de arbitrar. iud. lib. 2. casu. 361. num. 21.*

Versic. IN HIS PROPECTO CASIBVS.

Consultò tamen & præuia deliberatione.

Viginti coniecturas recenset Menoch. *d. cas. 361. quibus deliberatus occidendi animus probetur.*

Post repentini iræ motum alium occiderit.

Id est, ex intervallo seu postquam à rixa omninò cessauit fuit & primus furor pertransijt: nam eo adhuc perseverante licet à loco rixæ discessum sit, & vnus rixantium armis sumptis & lætis socijs reuersus aduersarium peremerit, etiam si dolo & animo interficiendi id euenit, non ideo tamen homicidium ex proposito, sed tantum simplex commississe dicitur. *Molina tom. 4. disput. 2. §. num. 2.*

Veriorem esse censeo Panormit. sententiam secundum quam non est hic homicida ab Ecclesia abducendus.

Contrariam opinionè, tanquam magis communem, sequitur Clar. *d. §. homicidium nu. 8. & §. fin. quest. 30. nu. 12.* Et eam consuetudine Lusitanicæ, *lib. 1. ord. tit. 4. receptam adeoque vere verissimam ac c. 1. de homicid. expresse definitã tradit Molin. d. disput. 2. versic. quamuis num. 3. quod etiam ex lege Ecclesiastica Exod. 21. vnde prædictũ cap. desumptum est, probare conatur, hæc sequentia verba Exodi. *Si quis per indignitatem occiderit proximum suum vel per insidias, ab alio meo euulset eum vt moriatur. disunctiue legens: quamquam Codex meus copulatiua vtatur, & prædictam Molinæ opinionem Curia Parisiensis, Gratianopolitana, Pap. lib. 1. tit. 1. ar. 1. 19. & 20. & alia secutæ sunt. Clar. d. num. 12.**

Num. 8.

Et ideo Virginum raptores ab Ecclesiâ & templis extrahi posse arbitror.

Ita quidem si violentiâ adhibita raptus sit cõmissus: nam si mulier consensit, atque adeo volens abducta sit, cum hoc casu maximè si prædictos sequamur, ne quidem capitalis raptus pœna locum habeat. per ea quæ latè & distinctè tradit Tessaur. *decis. Piedemont. 217. Decian. in trad. crim. lib. 8. cap. 7. num. 19.*

num. 19. cum seq. prout eum refert. Baiard. ad Clar. §. raptus. nu. 16. non videtur talis raptor immunitate Ecclesie priuatus: quod satis conuenit cum lato introitu Ducum Brabantie: artic. 26. Vbi violento tanta m raptui, voluntario pretermisso, poena prescribitur.

Num. 9.

Affasinos Dicitur.

Affasini vnde dicantur, eorum originem, agendi & procedendi modum, refert Menoch. de arbitrar. iud. lib. 2. Centur. 4. cas. 360. num. 41. Molina tom. 4. disp. 25. num. 1. & 2. de His etiam scribit Stephanus Tabourot. lib. varior. cap. 11. de allusion.

Qui pecunia aliove pretio conducti, homines occidunt.

Quid si gratuito, & vt mandanti morem gerant, an affasiniū censetur commissum? & ceteri, quanquam intercessio pretij magis aggrauat delictum, tradit Molina tom. 4. disp. 25. nu. 8. Guaiachar. in addit. ad Clar. d. §. affasiniū. l. 1. A cuius contrarium assertit ibidem Baiard. num. 7. Gabriel. commun. conclus. lib. 7. conclus. 1. num. 5. sed prior opinio moribus nostris magis congruit.

Num. 10.

Mihi non admodum placet hæc communis interpretatio.

Moribus nostris secundum communem opinionem DD. à Couarr. relatum, affasinus habetur qui alterius opera aliu interfici, vel vulnerari curarit, vt & is qui mandatum exequitur: & vterque per seipsum causa circumstantijs extremo supplicio afficitur, nec immunitate Ecclesie gaudet. hinc de facto Antuerpiæ duos, qui ad homicidium perpetrandum operam locarant, ab Ecclesia auulsos memini & in crucem actos: inuato leuiter tantum vulnerato. Latius autem de de poena mandantis & mandatarij in crimine affasiniatus, de vulnere, actu proximo & remoto, vt & de conatu vid. Menoch. de Arbitrar. lib. 2. Centur. 4. cas. 360. num. 42. cum quatuor seqq. Molinam tom. 4. disp. 25.

An autem affasiniū teneatur qui propriam iniuriam uelificitur focijs in auxilium pecunia conductis: Et non teneatur respondet Hieron. Gabriel. Consil. 170. num. 13. prout eum refert Baiard. in addit. ad Clar. §. affasiniū. num. 5.

Num. 11.

Etiā excommunicatis prodesse.

Confirmat Iul. Clar. §. fin. quest. 30. num. 18. versic. quero etiam.

Versic. DECIMO QVARTO.

Boerius d. decis. 110. dicens idem esse in Blasphemis.

Blasphemiam describunt, eiusque species & poenas referunt Couarr. cap. quatuor. part. 1. §. 7. de pact. in 6. numer. 11. & seqq. Clar. lib. 5. §. blasphemia. num. 1. Baiard. ibidem in addit. Menoch. de arbitrar. iudic. lib. 2. cent. 4. casu. 375. num. 3. & seqq. Ex quibus videtur posset Boerij decisionem hic ab Auctore relata, non indistincte procedere, nec promiscue Blasphemos ab Ecclesia abduendos, sed id pro gravitate & frequentia delicti moderandum esse. Quin Nauarrus reprobata d. Boerij decisione, eos vniuersè hac Ecclesie immunitate gaudere tenet in. Enchirid. cap. 25. num. 20.

Num. 13.

Scribit captum à Iudicis secularis familia dum per Ecclesiam ad carcerem publicum ita captus ducitur, posse ab eadem Ecclesia inuitum abduci.

Sequitur & probat Gomez. variar. resolut. tom. 3. cap. 10. nu. 2. versic. quarto limita. Prosp. Farinac. quest. crim. 28. nu. 69. contrarium tamen pro communitate in fortioribus terminis, in condemnato videlicet capitaliter, assertit Iul. Clar. lib. 5. §. fin. quest. 30. numer. 22. versic. scias autem ibi. fortius dico. & ita ex Chaffan. de facto iudicatum refert.

Versic. DECIMO OCTAVO.

Etiā si is captus in carceribus ipsum carcerem confregerit.

Iul. Clar. lib. 5. §. fin. quest. 30. n. 19. versic. pone familia. verb. quinto cum semel. & nu. 22. versic. scias autem.

Versic. DECIMO NONO.

Consuetudo tamen consensu clericorum & laicorum instituta obtinuit fures etiam simplices, non gaudere templorum immunitate.

Hanc consuetudinem non seruari in Prouincia Mediolanensi, tradit Clar. lib. 5. §. fin. quest. 30. versic. quero an fures. n. 14. qui tamen ibid. ait: expedire eandem obseruari ijs in locis in quibus est copia furum.

Tener etiam Gomez. variar. resolut. tom. 3. cap. 10. nu. 2. versic. quod tamen intelligi. immunitatem Ecclesie cessare si quis tria vel plura facta commiserit, cum per talem consuetudinem efficiatur famosus. Arg. text. in l. capitalium. §. famofos. ff. de poen. & in Aurben. sed nouo iure. iuncta gloss. ordin. C. de seru. fugit. Accedit quod D. Gothofr. ad l. present. 6. §. sane si seruus 5. verb. conuassatis C. de his qui ad Eccles. confug. notauit: fures inignes non frui iure asyli.

Num. 14.

Versic. SED PRO FECTO.

Etiā si debitor fugies ad Ecclesiam sit obnoxius publicis tributis.

Gothofredus ad d. l. present. 6. §. sed si hoc 4. verb. publica. reliquatores tributorum à iure asyli, cum Rebuff. ad consil. reg. tom. 2. tractat. de immunitate ecclesiast. art. 1. gl. 2. num. 3. excludit, quanquā id ceteris debitoribus publicis cōcedat: Munhoz. vero tract. de raiocin. cap. 4. nu. 6. 7. & 8. ita distinguit, vt exactores siue collectores tributorum, aliique administratores, si ad Ecclesiam, non redditus rationibus, cum bonis pecunijs vel libris rationū refugiant minimè eius immunitate gaudeant: scus si nihil contulerint, cum tali casu tanquam simplices debitores habeantur.

Versic. NEC IASONIS.

Posset fortasse Iasonis sententia.

Accedit Stracch. tractat. de decoct. part. 3. numer. 42. & 43. & Constitut. Regis Gall. relata à Matthæo in addit. ad Guid. Pap. decis. 121.

Num. 15.

Versic. VIGESIMO PRIMO.

Quodcumque crimen committentē in ipfis diuinis templis & in ipsa Ecclesia, ab eis iustissime euellendum fore.

Gomez. lib. 3. variar. resolut. cap. 10. num. 2. versic. tertius casus est. Quid. Pap. decis. 121. n. 3. versic. nec etiam. Clar. lib. 5. §. fin. quest. 30. nu. 13. Boer. decis. 109. nu. 3. versic. fallit quarto.

Versic. VIGESIMO SECVNDO.

Eum qui in Ecclesia crimen aliquod commisit, etiam sine spe & absque fiducia consequendæ immunitatis, ab eadem Ecclesia adhuc abduci iuste posse.

Ita se indistinctè in praxi vidisse obseruari tradit Clar. lib. 5. §. fin. quest. 30. num. 15. Remig. vero ab eo relatus ius alyli concedit; si non ex proposito, veteri odio, aut immunitatis spe, sed casu ita ferente, delictum in Ecclesia commissum sit: atque ita etiam in Lusitania practicari, testatur Nauar. in Enchirid. cap. 25. num. 20. in fin.

Verfic. VIGESIMO TERTIO.

Delictum committens in Ecclesia non tantum illius Ecclesie immunitate priuatur, & ab eâ abduci poterit, sed & à quacumque aliâ.

Iul. Clar. lib. 5. §. fin. quest. 30. versic. s. d. quid si aliquis in vna Ecclesia sub. nu. 15. vbi hanc rationem subdit, quod vna sit per totum orbem vniuersalis Ecclesia, adeo vt qui iniuriam vni particulari infert, omnes offendisse videatur; & prædictam opinionem apud Mediolanens. in praxi seruari asserit. Summa tamen Syluestr. in verb. immunitas. §. 3. q. 2. versic. tertiam est. referente Clar. d. loc. contrariam consuetudinem apud aliquos vigere tradit.

Verfic. VICESIMO SEXTO.

Vt coniecturare possimus eum spe Ecclesiasticæ immunitatis deliquisse.

Spe immunitatis Ecclesiasticæ quando quis deliquisse censetur, & ex quibus coniecturis ille animus detegatur, latè Menoch. lib. 5. præsumpt. 10. per tot.

Verfic. VICESIMO OCTAVO.

Si tamen quis Toleti rem furto abstulerit, eamque Hispalim deferat, poterit à iudice Hispalensi ob nouam contrectationem puniri.

Contrarium resoluit Clar. lib. 5. §. fin. quest. 38. num. 16. subiungens de consuetudine Mediolanensi, huiusmodi fures non puniri criminaliter: quanquam sub statâ pœna Ducatu eici soleant. Bartholi tamen opinionem ab Auctore relatâ anno 1608. in praxi secutam memini, in quodam qui ob furtum in Flandria commissum, Antuerpiæ in Brabantia ad instantiam domini rei ablatae condemnatus & suspensus fuit: in quâ causâ, inter cetera, vrgebatur; quod vtraque Prouincia subit eidem Principi.

Nec is tenebitur furem ad Iudicem Toletanum remittere.

De remissionibus vid. Couarr. Pract. Quest. cap. 11. num. 9. & Clar. d. lib. 5. §. fin. q. 38. num. 19.

Eius opinionem falsam esse cenfeo.

Sequitur Auctorem Clar. præcitat. quest. 38. numer. 16. in fin.

Præter casus hæcenus ab Auctore relatos, quibus immunitas Ecclesie denegatur, plures videre licebit apud. Clar. lib. 5. §. fin. q. 30. Gomez. lib. 3. variar. resolut. cap. 10. Berber. in viator. iur. part. 1. cap. 33. Boer. decis. 109. & 110. Nauar. in Enchirid. cap. 25. num. 19. & seq. Rebuff. ad consil. reg. som. 2. tract. de immun. Eccles. Remig. de Gonny. in tract. de immunit. Eccles. à pag. 101. vsque ad pag. 109.

Num. 17.

Et id permitti potest vbi ambiguum sit, de beatne gaudere delinquens Ecclesie immunitate.

Accedit Clar. d. q. 30. versic. quaro modo. num. 21. verb. bene sententia.

Verfic. TRICESIMO PRIMO.

Non posse Ecclesiam ipsam obsideri, vt ad eam fugientibus alimenta, victus, & vestitus minimè deferantur.

Gomez. variar. resolut. lib. 3. cap. 10. numer. 1. Clarus loc. sup. cit. Victus autem nonine hic etiam pharmaca continentur, prout ex Grass. tractat. de success. §. legatum. quest. 22. notante Gothofr. ad l. præsent. 6. in princip. ad verb. victualium. C. de his qui ad Eccles. confug. Tenetur autem reus seipsum intra Ecclesiam alere, si bona habeat: si vero pauper sit, Ecclesia ei de alimentis prouidere debet. ita Rebuff. ad consil. reg. som. 2. tract. de immun. Eccles. art. 1. gl. 1. num. 37.

Num. 18.

Verfic. TRICESIMO QUINTO.

Laicum crimen aliquod intra Ecclesiam perpetrantem, posse à Iudice sæculari puniri, nec eius criminis punitionem ideo ad Ecclesiasticum iudicem pertinere, &c.

Cum Couarr. sentit. Clar. lib. 5. §. fin. quest. 38. versic. vbi non quandoque dubitari. num. 18. & ita in ducatu Mediolanensi seruari ait.

Verfic. CÆTERVM.

Quod si dignus eâ iudicetur, remittitur & restituitur Ecclesie.

Iul. Clar. lib. 5. §. fin. quest. 30. versic. Quaro nunc. numer. 20. Ita quoque in Galliâ seruari (quod & Auctor refert) notat D. Gothofred. ad Rubric. C. de his qui ad Eccles. confug. & constat ex Papone lib. 1. tit. 1. arrest. 17. & seqq. Sed quaeritur ad quæ huius causæ cognitio spectet, Iudicemne Ecclesiasticum an vero ad sæcularem? Et eam soli Ecclesiastico concedit Gram. in indice decision. versic. Index Ecclesiasticus, & non Sæcularis. numer. 9.

An liceat honestumue sit Clericis fugientes ad Ecclesiam armis defendere, &c. & Collectarius in d. cap. inter alia. Id fieri non debere, asserere videtur.

Sed an ipse confuga resistere & armis se defendere possit & quid sit iuris si vulneretur, occidatur, aut è conuersione officialibus vulnus infligat, vel mortem inferat, iudicari poterit ex ijs quæ tradit Gram. Decis. Neapol. 41. & Peck. in ill. de iur. sistend. cap. 31.

IN